



**R. P. Maximiliani Sandæi E Societ. Iesv Doct. Theol.
Paradisvs Amantium, Colentium, Imitantium Christvm
Crvcifixvm**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae, 1648

57. Eligit locum sepulturæ à Cruce indicatum signatumque.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55065)

VII.

AMATOR CRUCIFIXI

*eligit locum sepultura à Cruce indicatum,
signatumque.*

57.

LANDRADA, quam inter CRUCIFIXI
Amatrices proximè locauimus in- **B. LAN-**
stabat dies præmij post longam carnis **DRADA,**
& spiritus luctam, quare ad illam se
parabat diligenter ad CRUCIFIXI bene-
placitum. Incidit itaque in lectum ægri-
tudinis, inq; eo patiēter multa toleran-
do, quodcumque illud esset, fænum, *In morbo*
stipulam & similia, quæ liberum exitū *exercitia-*
impedire solent, iugi doloris igne de- *siones piæ*
coquebat. Siccabatur caro, exhaurieba-
tur sanguis, cùm tamen nihil de psal-
mis, nihil sibi omninò remitteret de ie-
iunijs. Circumstabant morientem ma-
trem sanctarum Virginum cœtus, qui-
bus vltimò valedicens, lætabunda ad *Morituræ*
Sponsum euolauit.

CVM ageretur autem de sepultura *Apparet*
loco, spectandam se dedit S. Lamberto *S. Lamberto.*
Episcopo, cui tumulum eo in loco se-
velle significauit, in quem delapsa pri-
mum CRUX salutis suæ arrha foret: in lo-
co à CRUCE signato, sacratoque nec alio *Locum se-*
quietem membris lassis optare, vsque in *putura*
designat.

G s. diem,

154 CHRISTVS CRVCIFIXVS

diem, qua Domino sic visum fuerit.

*Consentio
populi.*

Obstabat præsens populi turba, intercedebant domestici; & sanctimoniales maximè. Hic aiebant Episcopo, visum mandatumque Virginis referenti, hic fuit consecrata, hic per eam adoleuit Sanctarum Virginum cœtus, hic cæcos illuminauit, hic claudos erexit, hic Antistitem egit: non est boni pastoris oues velle spoliare. Itaque in Ecclesia corpus Virginis sepeliunt, Lamberto permittente, quod impedire non poterat.

Sedatur.

Qui post ieiunium triduorum, & preces continuas, concione aduocatâ, iussit, vt tecum spectarent quem sibi locum ad quietem CRVCIS Amatrix elegerat. Itur ad templum, aperitur terra, locus reperitur vacuus, sine corpore, sine tumba. pergitur deinde ad fundum à CRUCE signatum & inessum, vbi effossa humo Virginis Sanctæ exuias cū ipso sarcophago reperiunt, eo modo compositas, vt non dubitarent Angelorum ministerio id esse factum. Nimirum, boni illi Spiritus non refugiant vesperionum munus, vt desiderijs Amatorum CRVCIFIXI satisfaciant,

Molanus, Surinus, Haranus.